

« aliusve impedimentis dirimentibus, Romano Pontifici reservatae sunt, cum publicum impedimentum est, et de matrimonio contrahendo agitur, non permittit ut episcopi his in circumstantiis dispensent. Cum enim ab Ecclesia universali, sive illius capite Romano Pontifice, sint instituta impedimenta matrimonium dirimentia, dispensatio super eis, communi jure, ad caput universalis Ecclesiae, Romanum Pontificem, non ad episcopum, pertinet; ut colligitur ex cap. *Cum inferior extra*, De majorit. et obed. Conciliaque provincialia plurima, Ritualia Ecclesiarum, auctores omnes id confirmant, et auctoritatem dispensandi competere negant episcopis, cum publicum impedimentum est, vel de contrahendo matrimonio agitur; postquam (inquam) hanc communem doctrinam diserte tradidit et insinuavit, in sequenti regul. 12 eandem in hunc modum limitat: « Si tamen antiqua sit, et legitime praescripta diocesis consuetudo, ut episcopus in quarto gradu, etiam de contrahendo, certis in casibus dispenset, quia ejus decessores hac usi sunt ab antiquo ad hanc usque diem facultate, quae a Sede Apostolica concessa creditur (quod in quibusdam Galliarum diocesis fieri novimus), de his dispensationibus haud movenda lis est: siquidem consuetudo legitime praescripta juri positivo praedjudicat, ususque longevi non levis est auctoritas, ut dicitur cap. *Cum consuetudinis*, et cap. *Cum tanto, extra*, De consuet. » Hinc denique nonnulli Gallicani episcopi, uti narrat Pontas in verb. *Dispensatio matrimonii*, cas. 35; Herminier, *De sacramentis*, tom. III, c. 17; auctor *Collationum ecclesiasticarum Parisiensium* sub cardinali de Noailles, tom. III, lib. v, collat. 2, c. 2; Gerbesius in *Tractatu*, quem edidit, *de potestate Ecclesiae, et principum super impedimentis matrimonii*, et Sainte-Beuve, tom. I *Resol. casuum conscientiae*, cas. 66 et 67, usum praetextentes suorum decessorum, dispensant in impedimento quarti, et alicubi etiam tertii gradus consanguinitatis, seu affinitatis; et alii jus vindicant relaxandi insuper impedimenta cognationis spiritalis, criminis, et publicae honestatis; licet alii ejusdem regni antistites, observante eodem Sainte-Beuve, sibi integrum non esse arbitrentur, ab ullo cujuscunque generis canonico impedimento, matrimonium dirimente, quemquam solvere: prout scilicet, sicuti idem auctor prosequitur, fert diversa, quae in qualibet diocesi inolevit, consuetudo.

« Ab eadem quoque consuetudine, quae ex privilegio, et indulto Apostolico initium sumpsisse censenda sit, contendunt similiter episcopi Leodienses, se potestatem adeptos dispensandi in quarto et in tertio, hinc inde, consanguinitatis gradu: « Si imminens appareat periculum defectionis partium ad vicinos fidei hostes, mutuae internecionis parentum et amicorum inter se, ob corruptam puellam, et partes non habeant mediae recurrendi ad Urbem: » quemadmodum referunt Lessius in *Auctor.*, verb. *Matrimo-*

*nium*, cas. 9; Gobat, *Theolog. experim.*, tract. 9, n. 596, et Van-Espen, *Jur. Eccl. univ.* tom. I, part. II, tit. 14, cap. 1, n. 11, quod tamen jus sibi non arrogare alios Belgii episcopos, ne eos quidem, quorum dioceses auctoritate Pauli IV a Leodiensi divulgatae sunt, opportune animadvertit Zypæus ad tit. *De eo qui cognovit consanguineam uxoris*, n. 13.

« Verum, sicuti graviter errant qui potestatem de qua agitur episcopis adjudicant, unice freti illo axiomate (de quo supra), cujus falsitatem plur. concil. provincial., Ritualia Ecclesiarum, auctoresque omnes agnoscere, fatetur etiam citatus Natalis Alexander in alleg. regul. 11, ita periculum est, ne se, aliosque decipiant, qui eam a consuetudine mutantur. In primis enim prudenter dubitari potest, an ejusmodi consuetudo, in florentissimo Galliarum regno, Apostolicae Sedi obsequentissimo, et sacrorum canonum religiosissimo custode, ullo unquam tempore vigerit, cum non solum contingere potuerit, hunc illumve episcopum in hoc aut illo impedimento dispensasse, ex privilegio sibi a prima Sede specialiter concessio; sed etiam, ita rem se habuisse constet ex regestis sacrae congregationis de Propaganda Fide, et sancti Officii, in quibus frequentes adnotatae reperiuntur hujusmodi speciales concessionis episc. Gallicanis indulgentiae, dispensandi super impedimentis tertii et quarti gradus: unde Ducasse, auctor Gallicanus, in sua *Practica jurisdictionis ecclesiasticae*, cap. 10, sect. 7, scribit, timoratae conscientiae et excellentis doctrinae Gallicanos episcopos dispensasse post indultum sibi a Sede Apostolica concessum, et a dispensatione abstinnisse, postquam cessaverat nec fuerat renovatum indultum, quod ad certum tempus obtinuerant. In hac autem dubietate, non licere successoribus similes dispensationes elargiri, recte adnotavit idem Natalis Alexander in fine cit. regul. 12, scribens: « At, si dubitet, vel merito dubitare debeat episcopus, an dispensationes a suis decessoribus concessae, sint ex privilegio reali et perpetuo, an ex privilegio personali, dispensare non potest, nisi et ipse dispensandi privilegium a Summo Pontifice obtineat. In re enim sacramenta spectante, non licet minus probabilem, ac minus tutam opinionem sequi, relicta probabiliore, atque tutiore. »

« Quod autem aliquot Galliarum episcopi ex privilegio mere personali, non vero ex consuetudine, nacti sint facultatem super aliquo impedimento dispensandi, inde etiam conjicimus, quod ex una parte incredibile videatur, talem consuetudinem intra unius vel alterius diocesis limites constituisse, nec conterminas permeasse; id quippe evenire vix potuit in re episcopis favorabili, atque in regno servandae inter pastores disciplinae, morumque concordiae, et unitatis studiosissimo: ex alia vero scimus quamplurimos Galliarum antistites diserte declarasse, sibi fas non esse ullum auferre seu relaxare impedimentum, matrimonium dirimens:

siquidem concilium Turonense anni 1583, tit. *De matrim.*, tom. X *Collectionis Harduini* col. 1405, definit: « In quarto consanguinitatis et affinitatis, necnon cognationis spiritalis prohibitis gradibus, episcopis dispensare non licere declaramus: » in concilio Tolosano anni 1590, cap. 8, ibidem, col. 1804, legitur: « Quos cognationis gradus impediat, licet jam legitimus solutos et dispensatos, nisi visa prius Summi Pontificis dispensatione, in matrimonii conjunctionem parochi non recipiant: » synodus Lingonensis apud Natalem Alexandrum cit. regul. 12, post enumeratas personas, in aliquo usque ad quartum consanguinitatis gradum, inter se conjunctas, ait: « Inter istos non est legitimum matrimonium, nisi cum eis sit per Sedem Apostolicam dispensatum: » idemque sancitum declaratumque reperiri in synodo Trecenti, idem Natalis Alexander testatur. Additque Diot in opere, cui titulus *Sacramentarium pastorum*, tract. 13, *De dispensationibus matrimonialibus*, cap. 8, edit. Parisien., an. 1709, in generali congregatione Episcoporum, et universi cleri Gallicani declaratum esse, dispensationes omnes matrimoniales ad solum Papam pertinere, et parlamentis esse obsistendum, si aliquando episcoporum dispensationes admittant. Quis autem credat tot Gallicanos episcopos suae jurisdictionis tenacissimos sibi sponte adjudicasse eam auctoritatem, quam passim viderent ab aliis finitimarum diocesium praesulibus jure ordinario, et non mere delegato, exerceri?

« At, etiam dato, in aliquam diocesim irrepisse consuetudinem, de qua contenditur ut per eam collatum dicamus episcopo legitimum jus auferendi impedimenta, a conciliis oecumenicis, aut a Summis Pontificibus inducta; diligenter prius examinandum est an ea consuetudo omnes habuerit conditiones necessarias, ut potuerit praevallere legi episcopo inhibenti, ne superioris statutum infringere, aut quoquo modo relaxare praesumat. Quin imo, cum talis consuetudo non solum tendat ad abrogandam legem, verum etiam ad tollenda et minuenda jura uni competentia Romano Pontifici; praeter ceteras conditiones, necesse est ut centum ad minus annorum spatio, sine ulla interruptione, perseveraverit. Quocirca citatus Van-Espen, *Jur. eccl. univers.*, part. II, tit. 14, c. 1, n. 11, ut episcopo Leodiensi auctoritatem astruat dispensandi in tertio, et quarto, et in tertio hinc inde, consanguinitatis seu affinitatis gradu, eamque ex legitima consuetudine ab eo acquisitam evincat, ejusmodi consuetudinem contendit esse immemorabilem. Ad consuetudinem quoque, cujus initii memoria non extet, confugit citatus auctor *Collationum Parisiensium* tom. III, collat. 2, § 2. Verum postremo, et potissimum considerandum est an per eam consuetudinem, si qua inoleverit, *disrumpatur nervus ecclesiasticae disciplinae*; in quo eventu, nunquam per eam adversus legem praescribi declaravit Innocentius III in cap. *Cum inter*, De consuet.

Num porro praedicta consuetudo ejusmodi inficiatur vitio, potius, quam a nobis, praestat audire a Gallicano auctore Cabassutio, qui cit. lib. III, cap. 47, loquens de auctoritate dispensandi, quam sibi vindicant nonnulli suae nationis praesules, haec habet: « Si, in oppositum reclamantibus conciliis oecumenicis, quae hanc potestatem uni Summo Pontifici, legatoque reservant, sibi aut sint vindicare Gallicani ducenti circiter, et quadraginta nimirum episcopi, cum suis vicariis, seorsim in suis diocesisibus, singuli pro suo arbitrio, hujusmodi licentiam, in gruet profecto tota Gallicana ditioe admouendum exuberantior, et inordinatior inter tot tamque diversa sibi, aliisque indulgentium praelatorum capita, in dispensandis matrimoniis licentia. Quin etiam, si per univsum regnum ista invalesceret consuetudo (quod malum Deus avertat), contingeret deum, ut quilibet laici, etiam subalternorum tribunalium judices, per captionem et distractionem bonorum episcopaliu, ipsosmet episcopos cogerent, pro suo peculiarari, aut amicorum, aut partium postulantium affectu, ad sic dispensandum, sicut jamdudum compellunt invitos ad monitoria et excommunicationes decernendas; sique simile quid illis obveniret Divinae huic apud Isaiam comminationi: *Pro eo quod abiecit populus iste aquas Siloe, quae vadunt cum silentio; propter hoc ecce adducet Dominus super eos aquas fluminis fortes et multas*. Sic enim renuentes hac in parte summo universalis Ecclesiae Pontifici subjeci, compelluntur indignissime laicorum judicium infimorum decretis obtemperare, aut priorum fructuum, ni pareant, in terceptionem, ac privationem pati. » Et post adducta modo a nobis relata loca conciliorum Turonensis et Tolosani, inanem decernentia hac in re dispensationem, quae a Summo Pontifice non dimanavit, concludit Cabassutius: « Sane istae ab episcopis concessae dispensationes pro contrahendis conjugii, aut nullitatem, aut incertitudinem causant sacramenti. At vero in re sacramentaria unanimes docent theologi non esse licitum, quidquam incerti adhibere, eo certo medio praetermisso, quod adhiberi possit. Atque ita licentia ista vel nefariam inducit sacramenti nullitatem, aut ad summum, tutiore simul et probabiliore opinione rejecta, minus probabilem, nec tutam, in tanti momenti Sacramento, consecratur opinionem. »

« Huic Cabassutii monito (concludit Benedict. XIV) morem gerant episcopi, et nullius consuetudinis praetextu eam exerceant facultatem, quam dubiam saltem atque incertam esse, dissimulare non possunt. » *De synod. dioces.*, lib. IX, cap. 2, n. 2 et seqq.

(19. Vicarius generalis episcopi, vi officii sui, sine speciali mandato, nequit dispensare super impedimentis matrimonii occultis in foro interno, super quibus potest episcopus jure ordinario; arg. c. *Quid agendum* 4, De procurat. in 6, et in cap. *In generali concessione* 81, De regulis juris, in 6.

et l. *Illud*, ff. *De min.*, et tenent Sanchez, lib. II, disp. 40, n. 12; Vincentius de Justis, lib. IV, cap. 2, n. 158, 159, *De dispensationibus*; Puteus, decis. 53, n. 2, lib. III; Lotterius, *De re benefic.*, lib. I, quæst. 28, n. 123; Bosco, *De matrim.*, disp. 12, sect. 13, conclus. 3, n. 189; Guttierrez, lib. III, *Canon. qq.*, cap. 19, n. 15; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 34; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 54, n. 121; post *Glassam* communiter receptam in cap. *Quæ de causa* 9, caus. 2, quæst. 4, vers. *Quidquid*, ubi ita argumentatur: « Cum enim dispensatio se habeat instar restitutionis in integrum, et restitutio in integrum non delegetur per mandatum generale; » argum. l. *Illud*, ff. *De min.*, ergo nec dispensatio. Et ratio est quia cum dispensatio sit ex arduis et extraordinariis, non venit in generali mandato, in quo ardua et extraordinaria non comprehenduntur, et patet a simili in dispensatione pro foro interno, in suspensionibus et irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, quæ dispensatio, vi officii sui, non competit vicario generali sine speciali mandato ac commissione, ex concilio Tridentino sess. XXIV, *De reformat.*, cap. 6, ibi: « Per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum. » (20. Multo minus potest vicarius generalis, vi officii sui, sine speciali mandato, dispensare pro foro externo super illis impedimentis, super quibus episcopus dispensare potest ex speciali facultate a Papa sibi concessa. Communis ac certa.

(21. Episcopus potest vicario generali, aut aliis sacerdotibus idoneis communicare dispensandi facultatem, quam habet ex privilegio, seu speciali facultate pro utroque foro. *Communis*: constat enim clare ex clausula, quæ expresse solet apponi in simili privilegio seu facultate, ibi: « Communicandi has facultates in totum, vel in partem. » (22. Et communicare etiam eam facultatem, quam habet jure ordinario pro foro interno; *communis*; arg. cap. *Cum episcopus* 7, *De offic. et potestate delegati*, in 6. (23. Non sufficit tamen generalis deputatio, seu commissio ad hoc, ut vicarius generalis possit dispensare in dictis impedimentis; sed requiritur speciale mandatum, seu specialis delegatio vel concessio, dicendo v. gr. « Concedo tibi etiam omnem facultatem, quam ego habeo, sive jure ordinario, sive ex privilegio, aut speciali Papæ concessionem dispensandi pro utroque foro in impedimentis matrimonii. » Sic contra paucos Barbosa, *De offic. et potest. episcopi*, allegat. 54, n. 59; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 40; Engel, *De officio vicarii*, n. 10, eoque teste alii communiter; arg. cap. *Quid agendum* 4, *De procurat.*, in 6, et cap. *In generali concessione* 81, *De reg. juris*, in 6.

Capitulum, sede vacante, ejusque vicarius capitularis valide et licite potest dispensare pro foro conscientie super eisdem impedimentis occultis, super quibus potest episcopus jure ordinario. *Communis*. Et ratio est quia capitulum, sede vacante, succedit episcopo in omnibus, quæ sunt jurisdictio-

nis ordinariæ (demptis solis casibus in Jure specialiter exceptis), arg. cap. *His quæ* 11 et cap. *Olim*, 14, *De majorit. et obedient.*, cap. *Ad abolendam* 9, *De hæretic.*, cap. *Ecclesie cathedrali* 4, *De supplend. negligent. prælator.*, in 6, cap. *Cum nullus* 3, *De temporib. ordinat.*, in 6, cum similibus. (25. Non potest tamen dispensare super iis impedimentis, super quibus episcopus dispensat ex speciali facultate sibi concessa, aut particulari privilegio. *Communis*; arg. c. *Pastoralis* 11, § *Præterea*, *De officio judic. ordinarii*, et cap. *Privilegium* 7, *De reg. juris*, in 6, ibi: « Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona, » et l. *In omnibus* ff. *De regul. juris*, ibi: « In omnibus causis id observatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficit. »

(26. Commissarius bullæ Cruciatæ potest pro foro conscientie dispensare in contractu ante matrimonium impedimento affinitatis ortæ ex copula fornicaria in primo vel secundo gradu, tam lineæ transversalis, quam rectæ, dummodo concurrant sequentes conditiones, scilicet quod matrimonium fuerit jam cum dicto impedimento contractum, servata forma concilii; impedimentum sit occultum; alter conjugum bona fide, et ignarus impedimenti contraxerit; et quod conjux ignorans de nullitate matrimonii moveatur (tacita causa nullitatis, si videatur expedire ad evitanda scandala), ut sic matrimonium etiam secreto de novo tales conjuges inter se contrahere possint. *Communis*; patet enim hoc totum ex ipsamet bulla Cruciatæ, et cum aliis docet Vincentius de Justis, lib. II, cap. 2, n. 167, *De dispensationibus*. (27. Commissarius Cruciatæ potest legitimare prolem susceptam ex matrimonio hujusmodi post notitiam utriusque conjugis de impedimento quoad ordines, et beneficia tantum; Pontius, lib. VIII, cap. 13, n. 8; De Justis, *loc. cit.*, n. 168, et alii. (28. Non potest tamen commissarius legitimare prolem, quæ ex impedimento est illegitima, quando uterque conjux est in mala fide, nisi dispense etiam in matrimonio, et matrimonium cum effectu contrahatur; Sanchez, lib. VIII, disput. 6, n. 26; De Justis, *loc. cit.*, n. 171, et alii passim. Pontifex enim facultatem commissario concedendo, id facit in gratiam matrimonii. (29. Commissarius Cruciatæ dispensare potest ab impedimento orto ex affinitate superveniente ad petendum debitum; Sanchez, l. c., num. 13; Pontius, l. c., n. 10; De Justis, l. c., n. 169, et alii communiter.

(30. Omnes confessarii regulares mendicantes, vi privilegiorum, possunt dispensare super quovis impedimento voti non reservati, id est super impedimento voti: 1° Suscipiendi ordinem. 2° Castitatis non perpetuæ. 3° Etiam perpetuæ, sed pœnalis. 4° Conditionati. 5° Vel ex metu emissi. 6° Vel urgente necessitate. 7° Non nubendi; Sporer in 2 *præceptum Decal.*, cap. 3, sect. 3, n. 54; Sanchez, lib. IV *Moral.*, cap. 43, n. 2; Henricus, disp. 4, *De voto*, q. 6, n. 63, et com-

munis aliorum, tam theologorum, quam canonistarum, ut testatur, et tenet Reiffenstuel, lib. III *Decretor.*, tit. 34, n. 39, et lib. IV, in *Appendice de disputatione super impedimentis*, § 11, n. 538 et 539, et patet clare ex pluribus privilegiis Summorum Pontificum, ut Innocentii VIII, Eugenii IV, Martini V, Pauli III, Gregorii XIII, ut videre est in compendiis privilegiorum Dominicanorum, Minorum, Augustinianorum, Carmelitarum, Societatis Jesu, ac aliorum regularium. (31. Non habent tamen dicti confessarii regulares privilegium dispensandi super omnibus impedimentis, tam dirimentibus, quam impedientibus, super quibus jure ordinario dispensare possunt episcopi, ut prætendunt aliqui. Et ratio nostra est quia talis facultas non competit regularibus, nec ex jure, ut omnes concedunt, nec ex privilegio; cum nullum allegari possit, prout etiam ipsi adversarii nullum allegant. Nec valet dicere quod sicuti confessarii regulares mendicantes possunt dispensare super quovis impedimento voti non reservati, super quo jure ordinario possunt episcopi, ita etiam possunt dispensare super omnibus impedimentis, tam dirimentibus quam impedientibus, super quibus dispensare possunt jure ordinario episcopi. Non valet, inquam, quia in tantum possunt dispensare super votis, super quibus possunt jure ordinario episcopi, in quantum ad hoc habent specialia et expressa privilegia sibi concessa a variis Summis Pontificibus, ut patet supra n. 30. Nullum autem privilegium habent dispensandi super omnibus impedimentis, super quibus possunt episcopi. Unde adversariorum opinio non est sequenda, ut pote omnino periculosa, et penitus improbabilis ut recte advertunt Gobat, in *Theologia experimentalis*, tract. 9, n. 721; Reiffenstuel, lib. IV *Decretor.*, in cit. *Appendice*, n. 140 et 141; Cardenas, in 2 crisi, diss. 2, n. 379; La Croix, lib. VI, part. III, n. 892, et alii passim.

(32. Juxta varios magni nominis doctores possunt confessarii regulares post matrimonium, sive bona, sive mala fide jam contractum, dispensare pro foro interno super occulto impedimento affinitatis, etiam in primo gradu, et prolem inde susceptam legitimam declarare. Sic expresse docent Richardus, Roffensis episcopus, ab omnibus etiam adversariis summe laudatus tanquam vir celeberrimæ doctrinæ et sanctitatis, ab Henrico VIII, Angliæ rege, in odium fidei catholicæ occisus, et consequenter martyr, in suo libello *De causa matrimonii regis Angliæ*; Chassaing, *De privileg. regular.*, tract. 5, cap. 5, proposit. 3; Veracrux, in part. *Specul. aurei*, art. 27, vers. *Et hoc confirmatur expresse*; Reiffenstuel, lib. IV *Decretor.*, in cit. *Appendice*, n. 542 et sequent., et alii: et probant ex privilegio, quod dicunt per bullam fuisse a Leone X concessum Augustinianis, scilicet: « Quod cum his, qui in primo affinitatis gradu scienter aut ignoranter contraxerunt, modo notorium id non fuerit, neque in judicium pro-

ductum, dispensare valeant; ut de novo contrahant, et in eodem contracto matrimonio remaneant, prole etiam legitima. » Ita tenor privilegii, ut patet ex bulla Leonis.

Hoc privilegium in terminis etiam adducit doctissimus Rodriquez noster tom. III, *Reg. qu. 2*, art. 2, dicens verum esse: « Quod Leo X, fratribus Augustinianis ordinis concessit dictum privilegium per totum Orbem Christianum, quemadmodum in ejus bulla palam continetur; » sunt formalia verba Rodriquez, quæ non protulisset, si bullam non vidisset et legisset: Et addit: « Roffensis episcopi testimonio certe credendum est propter ejus maximam sanctitatem, siquidem pro fide catholica gladiis impiorum occubuit; » licet postea idem privilegium impugnet, dicens cum aliis non esse in usu. Idipsum privilegium ex Veracrux adducit etiam Quintanadvenas *Singularium tract. 9*, singular. 1, n. 1, addens ad finem: « Veracrux, utpote Augustiniano, in privilegio sui ordinis scribenti, fides adhibenda videtur. » Idem privilegium allegat etiam Sanchez, lib. VIII, disp. 6, n. 28; Pellizarius, in *Manuali regularium* lib. VIII, capit. 3, n. 343; Gobat, in *Theologia experimentalis*, tract. 9, n. 719; Bassæus, Bonagrata, et alii communiter.

Nec (dicunt defensores hujus privilegii), nec valet asserere hoc privilegium non esse in usu, quia dato, et non concesso, quod non sit in usu, id provenit ex ignorantia ejusdem privilegii, quali non usu privilegia minime amittuntur, juxta Innocentium in cap. *Accedentibus princ.*, *De privileg.*, Donat., tom. I, tract. 12, q. 6, n. 6; arg. l. *His usufructus*, ff. *Quibus modis usufructus amittitur*. Nec etiam obstat, addunt ipsi, allegatum privilegium non competere episcopis, quia constat regulares pluribus aliis etiam privilegiis gaudere, quibus carent episcopi, ut bene *loc. citato* observat Chassaing. Hactenus Reiffenstuel, *loc. cit.*, a n. 542, qui dein, adductis et solutis aliis Adversariorum objectionibus sub n. 549, sic expresse concludit: « Ex quibus omnibus, cum aperte constet viros doctrina et virtute celeberrimos, fideque dignissimos pro certo asserere, et testari sæpe dictum privilegium per bullam Leonis X revera fuisse concessum, rationes vero, et fundamenta doctorum idem privilegium impugnantium solum apparentia non autem efficacia videantur, sufficienter probata videtur... vera existentia questionati privilegii. »

(33. Ast vero, cum sententia defendens tale privilegium sit contra communioem aliorum, ut fatetur ipsemet Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 342, et deinde sub n. 550 dicit consultum non esse, ut regulares mendicantes ordinariæ, vel passim illo etiam pro solo conscientie foro utantur, sed ad pœnitentiam recurrant, dicendum est cum communiori et veriori sententia, non licere in praxi uti tali privilegio, adeoque non posse regulares post contractum matrimonium dispensare pro foro interno super occulto impedimento affinitatis in primo gradu. Sic